

2157.

1318 d. 1 Aug.

Stockholm.

Hertiginnorna INGEORG, Hertigarne Eriks och Waldeimars efterlemnade gemåler, återställa till Linköpings domkyrka gården Lena i Westergötland, som mot gifvarens, Hertigen af Finland, Biskop Bengts förordnande, olagligen blifvit domkyrkan fråntagen.

Orig. på perg. i Kongl. Bibl. *).

Omnibus presentes litteras Jnspecturis. INGIBURGIS et INGIBURGIS dei gracia ducisse sweorum. relicte dominorum E[rici] et W[aldemarii] quondam ducum ibidem. salutem in domino sempiternam. Nichil est secundum legitimas sanctiones quod magis debeatur hominibus. quam ut ultima uoluntas vniuscuiusque ad effectum debitum perducatur. Sane referente nobis venerabili patre domino Karolo dei gracia Episcopo lincopensi cognouimus quod reuerendus pater dominus benedictus felicis recordacionis predecessor suus dux finlandie testamentum condens curiam suam länæ in scarense dyocesi sitam, cum omnibus suis attinenciis mobilibus et immobilibus ecclesie lincopensi que eum ab annis puerilibus educauerat reliquit nomine testamenti. sicut in suo testamento. per sedem apostolicam confirmato plenius edocetur. quam curiam per assercionem fidelium nostrorum consiliariorum didicimus minus racionabiliter ab eadem ecclesia fuisse processu temporis reuocatum contra uoluntatem testatoris. quam utique inuiolabilem conuenit obseruari. Nos igitur ad instanciam eiusdem domini. K. episcopi lincensis de consilio fidelium nostrorum curiam eandem cum omnibus suis attinenciis mobilibus et immobilibus prefate ecclesie lincopensi restituendam decreuimus et restituimus per presentes ob remedium animarum dominorum nostrorum predictorum. Omni nobis et heredibus nostris adempta facultate curiam prefatam inquietandi seu ulterius repetendi. Prohibemus igitur nequis ecclesiam lincensem. super possessione seu proprietate eiusdem curie decetero inpeterè audeat seu aliqualiter infestare. contra tenorem restitucionis de eadem curia per nos facte, vnde ad premisorum evidenciam firmorem. sigilla nostra. vna cum sigillis dilectorum consiliariorum nostrorum dominorum mathie kætilmundæson dapiferi nostri. byrgeri pætersson. boo niclasson. et thurkilli andrisson presentibus sunt appensa. Datum Stockholmis. anno domini. M^o. CCC^o. XVIII^o. in festo sancti petri apostoli quod dicitur aduincula.

Sigillen N. 1, 4, 6 bortfallna, remsorna qvar; N. 2, 3, 5 mer och mindre skadade.

*). På samma ställe förvaras ett annat originalbref, af lika innehåll, endast med obetydliga variationer i afseende på stafningen af några namn och årtalets betecknande. Af sigillen finns N. 1—4 i behåll, skadade; N. 5, 6 borta, remsorna qvar.